


B A

B. R. V.

854-a; 880-a;  
912-a

8



CONTEMPLATIO  
RECENSIONIS

I N

VALACHICAM ANTICRITICAM

LITERARIIS EPHEMERIDIBUS VIENNENSIBUS

Nro 7. FEBRUAR, 1816, DIVULGATAE,

---

Budae.

TYPIS RÉGIAE UNIVERS. HUNGARICAE.

---

1816.

Inv. 149

B. R. V.

912-a

Aequam memento rebus in arduis  
Servare mentem: non secus in bonis  
Ab insolenti temperatam  
Laetitia.

Horatius.

Recensendam assumserat Dominus k. Valachicam Anticriticam, id est, *Animadversiones*, in Recensionem Historiae de origine Valachorum in Dacia, anni 1814. et *Reflexiones*, in Responsum D. Recensentis ad mox dictas *Animadversiones*, anni 1815. Latino idiomate Typis editas; sed quia facilius est ei, cuius id quidem fert indeles, conviciari, quam maturo judicio rem incidi reddere, praetermissis omnibus, quae predictae *Animadversiones* et *Reflexiones* continent, excepto eo quod ad postpositionem articulorum usu *Valachicae linguae* solitam pertinet, de quo infra recurret sermo, in immania convitia, et, ut ita dicam, anathema contra adversarium prorupit D. Recensens k. praetextu laesae amicitiae; eamque ob rem, quo se promptius expediret, *Denunciatione*, quam literariis Ephemeridibus Viennensibus Nro 7. Februar. 1816. divulgavit, abuti haud excelso animo consti-  
tuit. Sic res accidit.

Cum D. Recensentem angerent suo pondere *Animadversiones* in praelaudatam Recensionem factae, atque earum auctorem, utut anonymum, ipsum Revisorem librorum Valachicorum Budensem esse, expedite de-

cerneret; suum ad praedictas Animadversiones Responsum sive Refutationem in 22 punctis Revisor transmisit. Postea quam hoc Responsu eruditum a suis amicis legi, ac etiam describi sivisset Revisor; quidam inventus est, qui suas *Reflexiones* super eo Responso promeret, ac typis ederet una cum praelaudato Responso: nec enim citra recitationem de verbo ad verbum *Responsi* satis constantes fore videbantur Reflexiones super eo. Atque hoc est, quod D. Recensens k. infamem amicitiae violationem, plenis buccis declamitans, appellat.

Ego vero nego, ac pernego, unquam vel levissimam D. Recensentem inter et Revisorem Budensem intercesisse amicitiam. Nam quando, quaeso, hanc arctam et sanctam amicitiam, quam perviolatam fuisse per Revisorem, expostulat D. Recensens k. initit D. Recensens cum Revisore? An per *Recensionem Historiae de origine Valachorum in Dacia*, quam benevolam \*) (*respectu sui tem-*

---

\*) Quam sit benevolia ea Recensio, vide Animadversiones in eam. Auctorem Animadversionum taeduit reflectere ad id, quod in eadem Recensione instar Notae addidit D. Recensens illusurus Valachis: se mirari nemini in mentem venisse, originem nominis *Valachus* deducere a *vol*, quod *bovem* denotat. Mihi vero haec originatio novum argumentum suppeditat pro *Italica origine Valachorum*, quum *Italus* apud Graecos, a quibus id nominis habemus, significet *taurum*, *bovem* ab *irris animosus*. Sic, inquam, dicti sunt *Itali* propter ingenitem fortitudinem et animositatem, qua pollent.

*peramenti jam publice manifestati) vocat D.* Recensens k. ante enim vix vel fando audiverat D. Recensens nomen Revisoris, nedum amicitia inter ipsos coaluisset. At, si quis eam Recensionem diligentiori oculo inspiciat, et ad plura signa ac Parentheses comice interserta attendat; inferendum potius existimabit. D. Recensem, praeter nescio quem fastum et frivolam gloriolam, alienato animo a Revisorre, et Valachorum natione fuisse, quam amico.

An praetensam amicitiam contraxit D. Recensens cum Revisore per *Responsum ad Animadversiones*, quod fuit primum colloquium, et scriptum a D. Recensente sua vita ad Revisorem datum? At hoc non tractabat de amicitia contrahenda, sed pure puteque *Refutationem Animadversionum complectebatur*; neque ad Revisorem uti *amicum*, sed uti suppositum *adversarium* submissum est. Sic enim orditur: „Qui tibi haec scribo, vir „Reverendissime, idem sum, in quem tuae „animadversiones Budae 1814 prodiere.“

Certo nedum amicum, sed omnino inco-  
gnitum fuisse Revisor D. Recensem, ipse-  
met D. Recensens satis manifestat in praelau-  
dato Responso, signanter num. 3. ait: „Sub-  
„ ri-

„ risi de tuo in Rascianos animo equidem  
 „ sum Carniolus latini ritus.“ Et num. 17.  
 „ Cum sim latini ritus, vides quam riserim  
 de tua suspicione.“ Imo nec nomine tenuis no-  
 tus fuit Revisor D Recensens, priusquam idem  
 praelaudato Responso nomen suum subscrip-  
 sisset.

Concludendum ergo venit, nullam unqnam  
 inter D. Recensem Viennensem, et Revi-  
 sorem Budensem intercessisse amicitiam.  
 Cum vero *ex nihilo nihil fiat*; sequitur, non  
 modo violatam non fuisse, sed nec potuisse  
 violari amicitiam D. Recensentis. Quisque  
 proinde perspicere potest, quam importune,  
 inepte, praepostere, distorte, depravate, ini-  
 que, injuste, ridicule D. Recensens k. pro se  
 applicuerit haec sapientissima de amicitia Ci-  
 ceronis verba ex Philippica. 2 IV. iisdemque  
 auctorem Reflexionum diffamare amaverit:  
 „ Homo et *humanitatis* expers, et *vitaे commu-*  
 „ *nis ignarus!* quis enim unqnam, qui *paulum*  
 „ *modo bonorum consuetudinem* nosset, lite-  
 „ ras ad se ab *amico* missas, in medium pro-  
 „ tulit, palamque recitavit. Quid est aliud tol-  
 lere è *vita societatem*, tollere *amicorum* col-  
 „ loquia absentium! Quam multa joca solent  
 „ esse in epistolis, quae, pròlata si sint,

„ in-

„inepta esse videantur; quam multa seria,  
 „nunquam tamen ullo modo divulganda.“  
 Placet praeterea D. Recensenti k. auctorem  
 Reflexionum eatenus appellitare infamem,  
 barbarum etc. eundemque Herculea clavā ex-  
 citandum esse ad respectum, decernit.

Quisque rerum aequus judex censebit, *De-*  
*nunciationi* D. Recensentis k. omnino friabi-  
 li basi innixae jure praefigi posse hunc titu-  
 lum: *Parturient montes, nascetur ridiculus*  
*mus.* Uberius id ex sequentibus patescit.  
 Ideoque

Videamus, an extra statum amicitiae,  
 quam quidem nullam inter D. Recensem, et Revisorem fuisse abunde comprobavimus,  
 quidpiam peccaverit Revisor contra D. Recensem relate ad praelaudatum *Responsum* sive *Refutationem*. Illud responsum 1 mo fuit de re *erudita*, ideoque de re publica, ac omnino communicabili; 2 do continebat *refutationem* Animadversionum jam publici juris factarum; 3 tio missum fuit ad eum, qui certo reputabatur auctor Animadversionum ac adversarius, ideoque *non inconsiderate concinnatum*; quin acrius subinde agitat Revisorem tanquam auctorem Animadversionum. Certo *epistola amica* dici non potest hoc-

8

hocce Responsum, sed pura putaque et quidem severa *refutatio* Animadversionum. Hinc ausim asseverare illud Responsum D. Recensentis opus fuisse *publicum*, etsi uni, ob causam mox declarandam, submissum. Proinde nihil obstitit, quominus Revisor illud responsum, haud incommunicabile, sineret ab amicis legi, ac etiam describi, idque eo a fortiori, quod vel ipsa elegantia et amoenitas Latini styli maximopere illud commendabat: quo factum est, ut multi avide cuperent illud Responsum adipisci.

Mihi quidem rerum humanarum haud imperito, ac circumstantiarum hujus negotii apprime gnaro videtur: D. Recensentem conscientium ponderis Animadversionum, praeviso quod facile quispiam posset, sicut olim contra Recensionem Historiae de origine Valachorum in Dacia, ita etiam contra hoc responsum, sive Refutationem sua sensa aperire, statuisse apud se, cautius prelo committere *Responsum* ad Animadversiones, quam recensuerit praedictam Historiam, hinc in animum induisse astu prius suo responso tentandum esse Revisorem, ut comperta nefors replica Revisoris minus firma, audacius et acrius publice aggredi valeat Animadversiones ita,

prae-

praeclusa unde quaque viâ ne hiscere sinantur  
impugnatores praelaudatae *Recensionis*, uno  
verbo, D. Recensentem victoriam quaesivisse,  
non veritatem. Sed *bos apud se pulverem*  
*movet*, et D. Recensens *incidit in foveam*  
*quam fecit*. Nam quidam, uti supra innui,  
D. Recensentis machinationem praeventurus,  
edidit suas *Reflexiones super Responso D.*  
*Recensentis*, quin tamen eundem sufflamine  
a renovanda disputatione retineret; imo ad  
id committendum provocavit, quo finis tan-  
dem eruditiae quaestioni: de origine linguae  
Valachicae imponatur.

Illud proinde unice est peccatum Reviso-  
ris, quod machinatio D. Recensentis destinat-  
um effectum indipisci nequiverit. Quod qui-  
dem si peccatum dicendum; omnes qui con-  
tra aggressorem strenue se tuentur, dicendi  
erunt peccatores, et nti D. Recensenti k. no-  
minare placet, *barbari*, *infames*, *furibus*  
*consimiles*, *humanitatis expertes*, *vitae com-*  
*munis ignari*, *bonorum consuetudinem haud*  
*noscentes*, *societatis ē vitâ*, et *amicorum*  
*colloquiorum sublatores etc.* quive *Herculea*  
*clavâ excitandi sint ad respectum.*

Dubito etiam, an non sit D. Recensens  
k. ex eo genere hominum, qui omnium actio-  
nes

nes in crisin vocare amant, se vero a quopiam censurari, tanquam sacrilegium reputant. Qui hujusmodi sunt indolis facile excandescunt, et sui censorem implacabili odio persequuntur, imo parati sunt ad aggrediendum universam innocentem familiam et gentem sui censoris: Tanta dominatur in similibus homuncionibus animi impotentia!

Hujusmodi morbi, mea opinione, vix alia promptior foret medela, quam ut eidem obnoxius, priusquam occalescat, frequentioribus censuris exerceatur: ut exuta nativa ferociā, barbaris propria, certo tam conspicuo loco, qualis est *Vindobona*, unde omnes nationes ditionum Austriaci Imperii anhelant haurire civilitatem, urbanitatem, comitatatem, humanitatem, liberalitatem, honestatem, omnino indignā, asuescat patientiae, aequanimitati, fortitudini: quo utilior, vir eruditus, evadat Societati, sibique veram gloriam conciliet.

Dum olim versarer in *Carniolia*, casu vidi duas anus in publica platea rixantes, quarum unam ajebant esse prosapiā *Carniolam*, alteram *Germanam*: quod vel inde facile dignoscebatur, quia haec plura vocabula Germanica intermiscebat in sermone, quam illa. Cumque anus *Germana* perbelle nosset

rus snum exponere; ita demum ratione con-  
strinxit Carniolam anum, ut haec quid ultra  
respondeat haud inveniret: Sic *Carniola* anu-  
prae irā, qua ebulliebat, in immania convi-  
tia, imprecations, blasphemias prorumpente,  
omnes spectatores disrumpabantur risu, ipsa  
quoque *Germana* anus ridens inde discessit.  
Ego vero indolui tantae impotentiae animi,  
indeque subsecutae confusionei *Carniolae*  
anūs. Opportunus profecto *Carniola* anus ho-  
nori suo consuluisse, si conticuisse, aut etiam  
se devictam candide confessa fuisset, quam  
talia *impotenter* evomitando. Sed denique fuit  
annus, non vir, et quidem eruditus nominis-  
quem forte multi antehac cordatum virum es-  
se credebant. Anui in similibus parcendum:  
quo enim bestiola quaepiam minus pollet vi-  
ribus, eo acriore iracundia exardescit.

Suspicio item D. Recensem, speciali  
quaepiam jure se gaudere sibi imaginari. Sic  
enim praelaudatum Responsum ad Animadver-  
siones exorditur: „Qui tibi haec scribo, vir  
„reverendissime, idem sum, in quem tuae  
„Animadversiones Budae 1814 prodiere,  
„cum abessem Parisiis et Oxonii.“ Quibus  
verbis reprehendere videtur D. Recensens  
Auctorem Animadversionum, quod dum ipse-  
met

met Viennâ abesset Parisiis et Oxonii , prae-  
sumserit contra D. Recensentem Animadver-  
siones divulgare; quam enim aliam ob caussam  
sui absentiam Parisiis et Oxonii hic loci  
commemoraret? Quod si verum est; haud mi-  
rum vide ri debet D. Recensentem tantopere  
apprehendisse, suum Responsum ad Animad-  
versiones, ut ut de re pure pntequa erudita  
tractans, citra specialem ipsiusmet indulgen-  
tiam aliis contra imaginarium suum jus com-  
municatum exstisset.

Demus Revisorem unum esse ex Ducto-  
ribus suae nationis, prouti definit D. Resen-  
sens k. Demus eundem amicum fuisse D. Re-  
censenti, ac peccasse contra amicitiam D.  
Recensentis; annon etiam — quandoque bo-  
nus dormitat Homerus? Homines sumus, li-  
mitato intellectu praediti: *Decipimur specie  
recti*; quisque proinde peccare potest. Culpa  
tamen hujusmodi peccantis nunquam est simi-  
lis peccato originali, quae in universam natio-  
nem aut in universum ordinem peccantis  
transfundatur, eumque reum faciat. Minutum  
ergo se praebuit D. Recensens k. dum sui sym-  
ptoma animi secutus, vocabulo *popa*, alludens  
ad veterum Romanorum *popam* (unde *popina*,  
*popinor*) universum clerum cunctarum gentium

Sla-

Slavicarum Graeci Ritūs (*Pereant amici, dum una inimici intereant*) ludibrio habere adnus est *pulcinellam* imitatus, quae dum vi-  
disset unum hominem ebrium, censuit omnes vineas extirpandas. Sed, *naufragium passus etiam stercora prensat spe eluctandi.*

*Popa* derivarunt Slavicae gentes Graeci Ritūs a Graeca dictione *Papa*, quod denotat *Patrem*, mutata primae syllabae vocali *a* in *o*; atque hoc dulci ac venerabili nomine compellant in proprio sermone *Presbyterum*. Quod quidem Valachi in sua lingua neutiquam faciunt, sed omnem Presbyterum una et Monachum, dum alloquuntur, vocant *Parente*, quod similiter *Patrem* significat. Ceterum Presbyter apud Valachos vocatur *Preotu*, qui apud Italos *Prete* audit, nisi quis praeter proprietatem Valachicae linguae imitari velit Rascianos in sermone; nunquam tamen id faciunt, dum Presbyterum alloquuntur, neque in libris. Hinc vel in ipsis ex Russico versis libris nunquam est videre *Popa*, sed ejus loco *Preotu*.

Sed et Hungari suum *Pap* olim scribebant *Pop*; imo et hodie *a* sono proxime accedente ad *o* proferunt. *Popa* apud Slavicas gentes Graeci Ritūs, sermone suo, uti supra in-

innui, honorifica dictio est; at Latino sermo-  
ne suos Presbyteros ac Parochos nominari  
*popas*, jure non ferunt.

Dum vero D. Recensens k. in illo Di-  
sticho latino snae Recensioni inserto *Popam*,  
quo nomine uti supra docui, apud Slavicas  
gentes Graeci Ritus venit Presbyter, sacris or-  
dinibus iniciatus, comparat cum furibus, non  
modo Vlachos Croatiae, ac universum sacrum  
ordinem nationum Slavicarum Graeci Ritus,  
impotentia animi usus, nefande laesit, verum  
id etiam effecit, ut quos ante sui admiratores  
habebat, jam condolecant. Hic loci D. Re-  
censens k. aut sequi, aut superare voluit Do-  
minum Schwartner, qui in sua Regni Hunga-  
riae Statistica admirandos viros Joannem  
Hungarium, ejusque filium Mathiam Corvinum  
Hungariae Regem cum Hora et Kloska com-  
parabat, dum ait: Magnus Joannes Hunyadius  
ejusque adhuc major filius Mathias Corvinus  
origine fuerunt Valachi, sed etiam crudelis  
Wlad Dracula fuit Valachus, et Hora ac Klos-  
ka fuere conterranei. Ego certo non sum in-  
fenso animo erga D. Recensem, sed eum,  
potius amo, quod ansam suis contradictioni-  
bus subministrare solitus esset aliis veritatem  
indagandi, idcirco vehementer doleo, eun-  
dem

dem tantopere exorbitasse, notamque suo nomini multo labore diluendum inusisse.

Porro, dum D. Reeensens k. Schwartnerianae adumbrationi nationalis characteris Valachorum applaudit, (quo facto obligavit amicum, ut is quoque nactus occasionem utatur auctoritate D. Recensentis k. contra Valachos) manifestat se vel ipso D. Schwartner minus nosse res Valachorum. Quis vero ferat D. Resensentem k. controvertentem (uti videtur: quod unus Valachus (nam Valachos protestatos fuisse, D. Recensentis k. commentum est) contra Dominum Schwartner ratione praedictae adumbrationis *Hungarico idiomate* scriperit? An lingua Hungarica non potest satis eleganter et copiose scribi? Vel Domini Schwartner in Universitate Hungarica Professoris Germanicum opus non licuit Hungarico idiomate refelli? Vel Valacho J. Regni Hungariae civi fas non est Hungarice scribere?

Occurrit *Recensio* illius opusculi Hungarici, quo Domino Schwartner respectu supra memoratae adumbrationis nationalis Characteris Valachorum responsum est, Literariis Ephemeridibus Viennensibus Nro. 3 Januar. 1816. divulgata. Titulus hujus opusculi Hungarici est: 'Eszrevételek Tekéntetes Schwartner Márton

Ur'

Ur' Magyar Ország Statistikájában az Oláhok-  
rol tett Jegyzésekre, Pestini anno 1812 editi.  
Auctor hujus opusculi fuit juvenis Valachus,  
*Thomas Kosztin*, Nobilis de Gaura. Qui quidem  
etsi parvae staturaे, tamen repreaesentatur D.  
Recensenti non solum instar Gigantis, sed  
omnino instar universae nationis Valachicae,  
dum ait: contra quam (*supra dictam adum-  
brationem*) *Valachi* plane hungarico idioma-  
te protestati sunt; vel certo uti talem repre-  
sentare voluit D. Recensens k. ad concilian-  
dam nescio quam inanem gloriam Domino  
Schwartner, vel vero diminuendam ejusdem  
confusionem, cui per illud opusculum fors  
obnoxius redditus est, ob eamque rem *soli.*  
*dam refutationem* ab uno juvene Valacho  
adversum Dominum Schwartner elucubratam  
nomine *protestationis Valachorum*, i. e. uni-  
versae nationis Valachorum insignire haud in-  
decorum existimavit D. Recensens.

— — — *Male verum examinat omnis  
Corruptus judex.*

Hoc, inquam, opusculum recensum fuit  
Viennae ita quidem jejune et exiliter, ut nec  
lector evasurus sit eruditior per hanc Recensio-  
nem, et D. Schwartner quoque in eodem, in quem  
eum rededit praelaudatus juvenis Valachus, statu  
per-

permanens sit, ni ipse D. Schwartner quidam  
 sua virtute moliri in animum inducat. Nihil  
 enim continet haec Recensio, quam id quod  
 quisque puer balbutire valeret, nude videlicet  
 hanc sententiam, cortice leviorem: Notas  
 ('Eszrevételek) magis esse negantes et inven-  
 hentes, quam refutantes. Comice addit de  
 suo D. Recensens illud: *Si fecisti nega.* Hu-  
 jusmodi Recensionem ne cariosa quidem  
 nuce emerim. *Dic enim aliquid silentio me-*  
*lius, aut tace.* Sed D: Recensens contentus  
 si elegantiâ Germanici styli, et Comicis ex-  
 pressionibus lectorem inescare valeat, parum  
 de veritate sive invenienda, sive aperienda  
 solicitus esse solet ita, ut magistrum potius  
 linguae Germanicae agere, quam Recensentis  
 munere fungi videatur. Praeplacet certo eidem,  
 aliorum cantilenam recinere, et in superficie  
 rerum saltitare, ac lusitare, quam interna vi-  
 scera et medullam rimari. Dum hoc perten-  
 tat, infeliciter cedit: Memoria vasta absque  
 proportionato judicio saepe infesta est. Sva-  
 deo D. Recensenti, ut novam recudat Recen-  
 sionem praelaudati opusculi Hungarici, ac sen-  
 sa Domini Schwartner ludicra omnia, prouti  
 et argumenta juvenis Valachi auctoris ad ap-  
 eam candide recenseat, tum suam opinionem

firma ratione suffultam expromat. Meminisse enim oportet querimoniae auctoris Historiae de origine Valachorum in Dacia Praefationi ejusdem Historiae insertae. Ad cordatam vero Recensionem super hoc edendam, opus foret integrae fidei ac diligentí Recensenti nosse, quot diebus D. Schwartner in Banatu moratus sit, (alios enim Valachos non novit) et quamdiu illis diebus aegrotaverit, apud Valachum quidem, qui omnem humanitatem, comitatatem, benevolentiam liberaliter erga ipsummet exercuit, nosse item à cuius furfuris homine hauerit ea in Banatu, quae ipse Pesthini suo genio indulgens locupletavit contra Valachos.

In hac eadem Recensione praelaudati opusculi Hungarici D. Recensens more suo Iudens et illudens inter prodigia refert, quod Valachi quoque legere incipient. Mihi vero id stupendum phaenomenon videtur, quod ii qui nunc (asserente D. Recensente) incipiunt legere, viros immensa ac inveterata eruditione gloriantes, utpote Dominutu Schwartner, et D. Recensem k. syllabizare doceant. Vide 'Eszrevételek, et saepe memoratas *Animadversiones*, ac *Reflexiones*.

Tandem minatur D. Recensens k. auctori *Reflexionum Herculeam clavam*. Sed hujus-

mo-

modi minae parum aut nihil angunt auctorem  
Reflexionum in loco nobili ac tuto constitu-  
tum. Ego vero olim, dum per *Carnioliam*  
transirem, omnino reformidabam clavam Her-  
culeam, maxime postea quam tres in patibu-  
lo vidi sem Hercules recens suspensos.

D. Recensens k. postquam defatigatus  
fuisset calumniando adversus auctorem Refle-  
xionum; ad rem eruditam, nondum tamen  
deposita irā, descendit. Arguit auctorem Re-  
flexionum non intelligere proprietatem arti-  
culorum Italicae linguae, tametsi ita perspicue  
et solide disseruit auctor Reflexionum num.  
11. pag. 26. de proprietatibus articuli definiti  
apud Italos, ut D. Recensens k. videatur tur-  
bato p̄ae ira oculo distorte legisse quae con-  
tinentur praesignata pag. ideoque minime in-  
tellexisse, vel ideo solum loqui ne tacere vi-  
deatur. Lege cit. pag.

Ferocius invehitur ratione postpositionis  
articulorum apud Albanos. Res sic habet.  
Postulaverat auctor Reflexionum num. 11.  
pag. 25. ut D. Recensens curet per Bulgarum  
et Albanum in Bulgarorum et Albanorum  
idioma converti textum Evangelii Graecum  
articulo *definito* gaudentem, qui ibidem  
Graece recitatus est. Si D. Recensens k. sum-

sisset sibi fatigium id praestandi ope Bulgarorum et Albanorum, ex quorum oralibus relationibus certiorem se factum esse de usu postponendi articulos definitos apud Bulgares et Albanos, ait; et multiloquio hac in re pepercisset, et nos certos reddidisset, quid sentiendum sit tam de existentia articulorum *veri nominis* definitorum, quam de usu postponendi eos substantivis apud Bulgares et Albanos, at quibus morem postponendi substantivis articulos definitos accepisse Valachos, definit D. Recensens. Sed D. Recensens k. ceteroquin brevitatis studiosus, maluit multis aliis mentem Lectoris occupare, quam brevi illa via rem confidere, et veritatem fateri; medullam enim rei, ut supra notavi, non libenter attingit. Quod vero insigni amarulentia addit D. Recensens k. Anglum *Leake*, seque mendacii taxatum esse ab auctore Reflexionum, parum putumque commentum est. Nam auctor Reflexionum cit. num. 11. nihil hac de re aliud dixit, quam quod peregrinantes saepe numero immaniter fallantur, et fallantur. Siquis fallatur, (quod humanum est) et ex hac erronea opinione alios imprudens fallat; an id mentiri est? Nonne vel lippis ac tonsoribus notum est, aliud esse mentiri aliud fal-

sum

sum dicere? Imo si plane mentitus fuisse Leake (quod auctor Reflexionum nec directe, nec indirecte uspiam dixit); tamen si D. Recensens deceptus ejusmodi mendacio, id retulisset; mentitum fuisse D. Recensem, minime sequitur. Hoc tamen non obstante D. Recensens abreptus irâ Herculeam clavam intentat, ac barbarum vocat auctorem Reflexionum: *Dixit cacabus olae.* Ceterum alias notatum est, D. Recensem consueuisse videre quae non sunt. Plura de genio ac modo scribendi etc. D. Recensis k. hic dici possent, sed quia non undequaque ad rem praesentem pertinent, silentio praeterimus.

Quoniam in controversia de postpositione articulorum definitorum substitutus, ac D. Recensens familiarem sibi brevitatem, quafinis huic controversiae impositus fuisse, hac vice amplecti renuit; nec speramus D. Recensem k. postulato Reflexionum num. 11, pag. 25. quod supra retulimus, satisfacturum, aliam ineamus viam ad terminandam hanc quoque, quoad suum principale, controversiam. Demus igitur, Albanos gaudere *veri nominis* articulis definitis, eosque postponere substantivis, ut Valachi solent: quis inde rerum humanarum gnarus credat, infinitam multitudi-

nem

nem Valachorum, quorum maxima pars nul-  
lum unquam coluit commercium cum Albanis,  
à pusilla respective gente Albanorum induis-  
se morem postponendi articulos definitos sub-  
stantivis?

Quod ad Bulgaros attinet, similiter de-  
mus, eosdem suum pronomen demonstrati-  
vum *ta* pro *veri nominis* articulo definito  
usurpare; an Valachos idcirco à Bulgaris edo-  
ctos fuisse articulos definitos postponere sub-  
stantivis, dicemus, ubi dubitari non potest,  
Bulgaros, prouti omnes aliae gentes Slavicae  
hodie dum destituuntur articulo *definito*, sic,  
inquam, Bulgaros olim eodem omnino caruis-  
se? Res mihi respectu Bulgarorum sic accidis-  
se videtur. Postquam ingens multitudo Vala-  
chorum Bulgaris immixta Bulgaricam linguam  
condidicisset; Valachi asueti articulis definitis,  
carente Bulgarica lingua articulis definitis, ince-  
perunt pronomen demonstrativum Bulgarorum  
*ta* pro suis articulis definitis in sermone Bul-  
garico usurpare. Ab iis Bulgari quoque sensim  
didicerunt, suum pronomen demonstrativum  
*ta* more Valachorum Bulgarice loquentium  
creberrime repetere in sermone: quod qui-  
dem aliis Slavicae originis gentibus quam ma-  
xime absonum videtur, ac tanquam stribigli-  
nem haud injuriâ aspernantur. Jam

Jam stante hac origine pronominis demonstrativi *ta* in articulum definitum transformati, de quo vix dubitari potest, cum nulla alia gens Slavica in usu habeat articulum *definitum*, ac ipsa frequens repetitio pronominis demonstrativi *ta* admodum defoedet indolem Bulgaricae linguae; quis recti judicii dicat, Valachos à Bulgaris accepisse suos articulos definitos postponere substantivis?

Illi Valachi, Bulgaris immixti, successu temporis oblivioni tradiderunt maternam linguam (quod quidem aliis quoque multis Valachis, tot vicissitudinibus olim agitatis, diversis in regionibus contigit), ac jam sub nomine Bulgarorum, quorum linguam loquuntur, veniunt. Certo olim ingentem multitudinem Valachorum usque ad suburbia Constantinopolis natale solum habuisse, testatum reliquerunt, scriptores Byzantini. Vide ap. Stritterum in *Vlachicis* cap. 22. §. 358. Hodie quoque percopiosi sunt Valachi etiam ultra Hadrianiopolim usque Constantinopolim, amissa nativa linguâ sub nomine Bulgarorum venientes. Nihilominus tamen iidem tam ex vestitu, quam etiam physonomiâ Romana facile discerni possunt a Bulgaris Slavicae originis.

Quo Lector intelligere valeat id quod D. Recensens k. more suo leviter attingit illudens: Ciceronem, Caesarem etc ad Quirites aut Vachice debuisse dicere suas *Orationes*, aut securus dicentes intellectos non fuisse, breviter exponam statum quaestionis. Auctor Historiae de origine Valachorum in Dacia dixerat, du-

pli-

plicem olim fuisse linguam Latinam, unam vulgarem, quae cum lacte hauriebatur à nutrice, alteram literatorum, quae ope Grammaticae condiscebatur. D. Recensens in Recensione predictae Historiae id pernegavit, assens, unicam olim fuisse Latinam linguam, idque probavit exemplo Graecae linguae, quae una fuit olim doctis et indoctis communis. Auctor Animadversionum respondit, idem accidisse olim Graecis, quod Latinis; hoc est. Graecos quoque dupli lingua gavisos fuisse, ac Latinos ad exemplum Graecorum instituisse aliam linguam pro literatis. Vide *Animadvers.* num. 6. et 7. D. Recensens ultra progressus haec protulit in suo *Responso ad Animadversiones*: *Nec cuiquam veterum unquam venit in mentem, linguam sibi formare pro libris diversam a populari, est haec propria hodiernorum ineptia.* Ad quod sic respondetur in *Reflexionibus* num. 7. „Certo D. Recensens, si attente consideret linguam Slovениam, quae est in libris ecclesiasticis; facile pervidebit, haud propriam hodiernorum esse ineptiam, linguam formare pro libris diversam a populari. Vide supra num. 3“. Sed D. Recensens semper prior est ad quaeritanda effugia, et utendum nugis, quam ad rem medullitus examinandam, aut contra praeconceptam opinionem candide veritatem confitendam.

---

